

tum, si vtile et novum quoddam inventum profero, invehor, et tot mihi inimicos contraho, quot dolent, se ipsos illud inventum non produxisse, vel saltem æquipollens aliquod, quo cum extraneo æquilibrium conservare possint.

Hæc scripseram autumnno anni præcedentis, 1759. Irritatus tum plurimis novis laboribus plane impeditus fui de transmittendis hisce litteris cum textu conchyliologico curam habere. Habemus hîc enim illud incommodi, abhinc ad Helsingör non nisi tabellarium pedestrem ire et redire, vnde adeo in loco expeditionis eius nunquam litteræ cum majoribus involucris (Paquets) recipiuntur, quantum etiam pretium offeratur. Hinc transmissionem ad hunc vsque diem, alia occasione deficiente differre debui.

D. Holmius Tuus et noster interea, exeunte anno præcedenti, loco itineris oeconomici suscipiendi æterna petiit, quod fatum mente quisque dolet. Juvenem supra memoratum, nomine Flohr, Bergensem, exeunte Novembri a. p. ad oras malabaricas ablegavi. Officium ipsius, quapropter stipendium accipit, est: Inspector monetarius in vrbe Trankenbar. Chemiæ enim non parum peritus erat. Qualia is in historia naturali præstiturus sit, tempus docebit.

Fratrem conjugis meæ, M. Hagen, qui jam Botanicæ gratia Upsaliæ commoratur, magnopere Tibi commendo.

Licet historiam fati mei cum opere Regenfussiano non Te ignorare voluerim, tamen Te etiam atque etiam rogo, vt saltem priores duas paginas, quæ mihi possent, si quocunque fato in alterius manus venirent, novas turbas facere, vel immediate ad me remittas, vel eas sigillatas Fratri meo tradas, occasione remittendas¹⁾. Vale denique, diuque vegeto. Vale, meque propter longam taciturnitatem amicitix Tuæ indignum non habe. Dab. Havniæ. d. 22 Maji. 1760.

¹⁾ Denne Anmodning sees Linné at have efterkommet; de to første Sider af Brevet foreligge nemlig kun i en Afskrift, aabenbart med en samtidig Haand, som dog ikke er Linnés.